



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. Vtrum omnes species diuersæ habeant necessario inæqualem
perfectionem.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

imultiplicabilis realiter, cui tamen ex sua ratione formali non repugnat multiplicari, secundum quod conciperetur, ut distincta ab omnibus naturis diuersa rationis, siue perfectè siue imperfectè, illam naturam posse dici esse, quantum est ex sua ratione formali sic concepta, prædicabilem de multis in quid complete; atque adeo si hoc sufficeret ad speciem prædicabilem, veram esse sententiam Thomistarum, quæ tamen sententia non placet absolutè & simpliciter propter duas potissimè rationes.

Prima est, quod gratis dicat sufficere ad speciem prædicabilem, ut descripta est à Porphyrio, huiusmodi prædicabilitatem quantum est ex se: nam cum Porphyrius dicat speciem prædicabilem esse prædicabilem de multis absolutè & simpliciter, & sine illa restrictione, & cum posuerit exemplum de specie, quæ absolutè & simpliciter est sic prædicabilis; perfectè gratis dicitur voluisse comprehendere sub sua definitione naturas, quæ non essent multiplicabiles, nec prædicabiles de multis, nisi cum tali restrictione.

24 Secunda ratio est, quod omnis natura, quæ est imultiplicabilis realiter, habet hoc ex ratione sua formali, vel per se primo, vel tanquam quid consequens necessariò ad rationem suam formalem: ergo falsum est, quod de facto detur aliqua natura realiter imultiplicabilis, quæ sit species prædicabilis, etiam in sensu prædicto Thomistarum. Probatur antecedens, quia omnis natura, quæ est talis, vel habet esse talis ex ratione sua essentiali specifica, vel ex proprietate consequente ad essentiam specificam, vel ex indiuidualitate: non ex indiuidualitate seu hæcitate, quia hæcitas in omnibus est eiusdem rationis; vnde si faceret hæcitas aliqua vnā naturam realiter imultiplicabilem, omnis hæcitas faceret naturam, quam afficit, imultiplicabilem numero ita, ut nulla natura hæcitate posset multiplicari numero, etiā specificatiue loquendo, quod est absurdum & contra experientiam de multiplicatione numerica humanæ naturæ ac aliarum rerum materialium, quæ non obstante quod afficiantur hæcitatibus, multiplicantur numero; ergo natura imultiplicabilis numero habet esse talis ex ratione specifica, aut proprietate sequenti. Subsumo: sed si habet hoc ratione sua formali specifica, ergo falsum est quod quantum est ex ratione sua possit multiplicari. Si etiam ex proprietate consequenti, ergo quandoquidem omnis proprietas præsupponat rationem essentialem, ad quam sequitur ex vi ipsius, adhuc sequitur quod ex ratione specifica & formali repugnet ipsi saltem radicaliter multiplicabilitas, sicut ex ratione rationalitatis repugnat homini proprietates brutalitatis.

Confirmatur hoc: quia ex ratione spiritualitatis repugnat essentia Gabriëlis, verbi gratia multiplicatio numerica, quia ex illa ratione repugnat ipsi materia, quæ est principium multiplicationis numerice secundum ipsos: sed spiritualitas est de essentia Gabriëlis, & per eam distinguitur per se primo à materialibus substantiis: ergo ex ratione sua formali repugnat ipsi multiplicationi numerice, si repugnat ipsi villo modo. Si vero dicatur quod repugnat ipsi ex sua ratione formali perfectè concepta, non tamen imperfectè concepta, tum instandum est exemplis præmissis supra disputat. *quarta*, de essentia Dei & specie infima, ad ostendendum quod id non sufficiat ad speciem prædicabilem Porphyrianam. In rei tamen veritate credo tandem quæstionem esse de nomine.

QVÆSTIO III.

Virum omnes species diuersæ habeant necessario inaequalem perfectionem.

25 Quamuis hæc quæstio verè non spectet ad Logicam, & specialiter ad hunc locum, ubi agitur de speciebus, ut prædicabilibus & subiectibilibus, ad quam considerationem earum perinde est, an sint inæqualis vel æqualis perfectionis, nam eodem modo brutum & homo subiciuntur generi, & eodem modo prædicantur de suis inferioribus, siue sint, siue non sint æqualis perfectionis, ut patet; tamen quia supponitur communiter, quod omnes res specie distinctæ habent inaequalem

perfectionem ita, ut qualibet sit quacumque altera vel perfectior vel imperfectior, & nullæ duæ sint æqualis perfectionis; & quia non occurrit alibi locus opportunior ubi tractetur; quid nobis apparet hic proponemus, quod & ante fecit *Auerſa* hoc ipso loco. Loquimur autem de speciebus primò intentionaliter sumptis, hoc est de naturis diuersæ rationis, ac diuersarum operationum aut effectuum.

CONCLUSIO I.

26 Certum est aliquas species diuersas esse inæqualis perfectionis ita, ut una ex ipsis sit simpliciter perfectior altera, & probabile est id esse verum de omnibus speciebus diuersis. *Prima pars* est extra controuersiam, & patet, quia sine dubio species humana est perfectior simpliciter, quam bouina aut equina, & intellectiones ac habitus virtutum sunt perfectiores quam albedo ac nigredo: ergo aliquæ species diuersæ sunt inæqualis perfectionis.

Secunda pars est communis omnium antiquorum, & ex professo *Soncina* 12. *Met. quæst. 4. Fonseca* 5. *Met. c. 28. quæst. 16. Suarez disp. 29. Met. sect. 13.* & sane horum auctoritati potissimum innititur.

Confirmatur præterea, quia non repugnat dari huiusmodi inæqualitatem in omnibus speciebus distinctis, & non est vlla ratio, quæ conuincat eam non dari de facto: ergo quandoquidem Philosophi communiter dicant ita esse, probabile censendum est quod ita sit.

CONCLUSIO II.

27 Non est certum quin dentur aliquæ species distinctæ æqualis perfectionis ita, ut neutra ex ipsis sit altera simpliciter perfectior aut imperfectior. Hæc est *Auerſa* supra, & fortassis hoc modo proposita non est contra Doctores communiter: quia licet dicant absolutè & simpliciter species omnes esse inæqualis perfectionis, non tamen dicunt id esse certum. Solus *Soncina* videtur ita dicere, dum putat se demonstrare oppositum. *Probatur conclusio*, quia nulla potest afferri ratio, ob quam certo constet omnes species debere esse inæqualis perfectionis: nam quod non implicat omnes esse tales non sufficit, quia etiam non implicat quod aliquæ ex illis sint æqualis perfectionis; vnde ex non implicantiā non colligitur certo nec vna, nec altera pars huius controuersie.

Probatur secundo, quia si esset aliqua ratio, vnde colligeretur certo quod omnes species diuersæ debeant esse inæqualis perfectionis; maximè ex eo, quod essent diuersæ speciei: sed hæc ratio nihil probat, ergo. Probatur minor, quia bene potest aliquis habere conceptum de aliquibus rebus, verbi gratia de albedine, & dulcedine, quod sint diuersæ rationis ob dissimilitudinem maximam, quam habent, & tamen ignorare vtra altera sit perfectior; & sanè de facto non colligitur hominem esse perfectiorem equo ex eo, quod sit diuersæ speciei ab illo, quia hoc principium non magis probaret hominem esse perfectiorem quam equum, cum alter ab altero sit æquè distinctæ speciei; ergo ex diuersitate specifica non colligitur inæqualitas perfectionis.

Dices non colligi quidem hanc inæqualitatem determinatè ex diuersitate specifica ita, ut possit colligi ex illa, quænam ex speciebus determinatè sit perfectior; colligi tamen ex eo, quod aliqua ex illis indeterminatè sit altera perfectior, quod sufficit ad impugnandum conclusionem.

Contra, quia bene potest quis habere conceptum de diuersitate specifica rerum, nullo modo considerando aliquid de perfectione earum, nec est ex terminis euidentibus quod, quæ sunt diuersæ speciei, debeant esse inæqualis perfectionis, nec potest afferri vllus discursus, quo probetur: ergo non sufficit diuersitas specifica ad colligendum inæqualitatem perfectionis, etiam indeterminatè.

Confirmatur hoc per solutiones obiectionum, quia in his proponuntur discursus, quibus probari solet, quod ex diuersitate specifica colligatur inæqualitas specifica saltem indeterminatè.

Valer
contra
Scoti-
stas.

28 *Probatur tertio conclusio ex Auerſa*, quia pater-
nitas diuina est diuerſa ac diſſimilis rationis formalis à
ſiliatione diuina; (intelligimus autem in hac quaſtione
per diuerſitatem ſpecificam huiusmodi, diſſimilitudinē
in eſſentiis rerum, ſive illa eſſentia ſint ſpecies proprię
loquendo, ſive non) ſed vna ex illis non eſt perfectior
altera: ergo bene ſtat diuerſitas ſpecifica, ſeu diſſimi-
ludo eſſentiarum ſine inæqualitate perfectionis. Hæc
probatio efficaciter concludit hanc concluſionem ex
ſuppoſitione ſententię, quam communiter tenent
Scotiſtæ, quod relationes diuinae non dicant formaliter
vllam perfectionem. Nec valet dicere quod quando di-
citur, quod ſpecies diſtinctæ debent eſſe inæqualis per-
fectionis, id debeat intelligi de ſpeciebus abſolutis, non
de relatiuis, aut de ſpeciebus participantibus perfectionem,
non vero de non participantibus, vt ſunt relationes
diuinae. Hoc inquam non valet: non quidem pri-
mam, quia ſi poteſt ſtare inæqualitas perfectionis inter
relationes diſtinctæ ſpeciei, non poteſt oſtendi cur ſimi-
liter non poſſit dari inter abſoluta aliqua diſtinctæ ra-
tionis. Non etiam ſecundum propter ſimilem rationem,
quia ſi diuerſitas ſpecifica non inferat inæqualitatem
perfectionis in aliquo caſu, non eſt vlla ratio cur inferat
illam ex ſe præciſe in vilo caſu, & præterea ſicut poſ-
ſunt dari differentię eſſentiales contractiuae ac conſti-
tutiuae diſſimiles entitatiuę, & tamen conuenientes in
non habenda perfectione: ergo ſimiliter poſſunt dari
differentię conſtitiutiuae diſſimiles entitatiuę, & tamen
conuenientes in tanta vel tanta perfectione, & confe-
quenter æquales in perfectione.

Minus valet illa probatio contra eos, qui dicunt re-
lationes diuinas dicere perfectionem formaliter; quia
illi poterunt dicere vnam ex illis non eſſe perfectiorem
altera, quia omnes ſunt infinitæ perfectionis; de ratio-
ne autem infinitæ perfectionis eſt non excedi ab vlla
alia: vnde quamuis in rebus, aut formalitatibus diuerſa
rationis formalis includentibus infinitam perfe-
ctionem, vna non debeat eſſe altera perfectior, tamen
poſſet contingere, quod in rebus non dicentibus infinitam
perfectionem quolibet diſtinctæ rationis deberet
eſſe altera perfectior.

Quod confirmatur, quia licet iuſtitia & miſericordia
diuina, quia ſunt infinitæ perfectionis, non excedant ſe
in uicem in perfectione, tamen iuſtitia & miſericordia
creata & infinita ita ſe habent, vt altera alteram exce-
dat. *Nihilominus* contra hos etiam valet hæc probatio,
quatenus ex ea conſtat quod ex diuerſitate ſpecifica vt
ſic, non inferatur bene inæqualitas, & quatenus hoc
ſuppoſito ipſi non poſſunt oſtendere, cur diuerſitas ſpe-
cifica creata, vt ſic, neceſſariò inferat illam inæqualitatē.

Proba-
bile eſt
duas vi-
ſiones
quas idē
oculus
habet de
diuerſis
albedini-
bus eſſe
diuerſæ
ſpeciei.

29 *Probatur quarto conclusio*: quia viſio ocularis
vnius albedinis numero diſtincta ab alia albedine non
eſt maioris, aut minoris perfectionis, quam viſio ocula-
ris eiſdem oculi terminata ad aliam albedinem eiſdem
omnino rationis, vt patet: ſed tamen eſt valde veriſimile
illas viſiones eſſe diſtinctæ ſpeciei; quia magis inter ſe
ſunt diſſimiles intrinſecè & per ſe, quam duæ viſiones
eiſdem oculi terminatæ ad eandem numero albedinem,
quandoquidem hæ duæ conueniunt in omnibus, in qui-
bus conueniunt duæ viſiones diuerſarum albedinum, &
præterea conueniunt in hoc, quod eſt eſſe viſiones eiſdem
numero albedinis, in quo non conueniunt illa viſio-
nes diuerſarum albedinum, quandoquidem per vnam
nequeat videri illud ipſum obiectum, quod videtur per
alteram. Nec dici poteſt quod illa diuerſitas oriatur ex
hæceitate, quia propter illam diuerſitatem illa duæ
viſiones diſtinguuntur pluſquā numero, & quia in hæ-
ceitate omnes illa albedines conueniunt proportiona-
liter abſq; vlla proſus differentia. *Deinde*, ſi diſſimili-
tudo aliqua poteſt dari inter duo numero diſtincta ratio-
ne hæceitarū abſq; inæqualitate perfectionis, cur nō
poſſit dari diſſimilitudo inter aliqua ratione differentia-
rum eſſentialium abſq; inæqualitate perfectionis: ſed ſi
illa diſſimilitudo, quæ eſt inter duas viſiones duarum al-
bedinū, proueniret ab hæceitatibus, quandoquidē non

habeat annexam inæqualitatem perfectionis, diſſimili-
tudo aliqua poteſt prouenire ab hæceitatibus abſq;
inæqualitate perfectionis: ergo & à differentis eſſen-
tialibus. Hæc ratio videtur valde vrgere non ſolum ve-
ritatem huius concluſionis, ſed falſitatem præcedentię
in cuius tamen fauorem reſponderi poteſt, quod ſit in-
certum, an illa duæ viſiones, modò ſint diſſimiles, ſint
æqualis perfectionis. Hoc autem ſuppoſito corrumpit viſ
huius rationis, quæ efficax eſt contra eos qui admitte-
rent eas eſſe æqualis perfectionis, prout multo proba-
bilis admittebat ab omnibus.

30 *Obiicit primò ex Soncina*: omnes differentię di-
uerſarum ſpecierum ſunt inter ſe inæqualis perfectio-
nis: ergo & ſpecies per ipſas conſtitutæ. Probatur ex
Philopho 10. *Metaph. text. 16.* vbi ait vnam differen-
tiam ſe habere vt formam, alteram vt priuationem; pri-
uationē autem ſumit pro ignobiliore, & minus perfectæ.

Reſpondeo negando antecedens, & ad probationem
dicēdo, quod non accipiat priuationem pro ignobiliore
forma, quidquid dicat Commentator. Quod ſi etiam ita
illam acciperet Philoſophus, poſſet exponi quod loque-
retur ſemper vt in plurimum, non ſemper in omni caſu.
Imo certum eſt, quod ex differentis contrahentibus ali-
quod commune poſitiuum, neutra potius habeat ratio-
nem priuationis, quam altera; ſed vtraque habet ratio-
nem priuationis, quia ex coniunctione ſuperioris cū il-
la, ſuperius priuatur altera differentia ita, vt in vno ſup-
poſito non habeat vtramque, nec poſſit habere, loquen-
do de differentis ſpecierum realiter diſtinctarū, de qui-
bus ibi loquitur Philoſophus. Tamen quodcumque
aliquod ſuperius diuiditur in aliqua duo mēbra, quorū
alterū ita ſe habet, vt vix poſſit explicari eius differen-
tia, niſi dicendo quod ſit illa, quæ opponitur alteri dif-
ferentiæ alterius membri, quæ eſſet nota, tum diuiſio
debet dari per differentias, quarū vna explicatur poſiti-
uē, & propterea dicitur habere rationem formæ; & al-
tera per ordinem ad negationem, aut priuationē iſtius
formæ; & propterea dicitur habere rationē priuationis,
ſive ſit perfectior, ſive non ſit. Sic diuiditur animal vt ſic
in hominem & brutum, & assignatur pro differentiā con-
tractiua ipſius ad hominem rationalitas, quæ explicatur
poſitiuē, & pro differentiā bruti irrationalitas, quæ ex-
plicatur negatiue, ſeu priuatiue. Sic etiam diuiditur ſub-
ſtantia vt ſic in materialem & immaterialem, & pro diffe-
rentia illius assignatur ordo particularis ad materiam;
pro huius vero differentiā aliqua forma, ad quam ſe-
quitur negatio, vel priuatio talis formæ.

31 Et ex his duobus exemplis patet, quod illa diffe-
rentia, quæ explicatur negatiue, licet ſit aliquando im-
perfectior, non ſit tamen ſemper, nam in priori diuiſio-
ne differentiā bruti eſt imperfectior, quæ explicatur pri-
uatiue; at in poſteriori differentiā ſubſtantia immateria-
lis, quæ tamen explicatur priuatiue, eſt perfectior; vnde
conſtat non intellexiſſe Philoſophum per differentiam
priuatiuam, eam, quæ eſſet ignobiliore, aut imperfectior.

Adde ad hæc, quod, ſi teneret Philoſophus expreſſe,
ſpecies diuerſas debere eſſe inæqualis perfectionis, hinc
tamen non ſequeretur id eſſe propterea certum, ſed ſo-
lum inde haberet probabilitatē deſumptam ab autho-
ritate Philoſophi, quæ non præiudicat huic cōcluſioni.

32 *Obiicit ſecundò*: ſi differentię eſſent æquales,
æqualiter different à non ente & primo ente: ergo
non poſſet assignari ex quo capite different.

Reſpondeo negando conſequentiā, quia poſſet deſu-
mi ipſorum diuerſitas ex eo, quod non eſſent repræſen-
tabiles per eandem ſpeciem, & ex diſſimilitudine, quam
haberent in ſuis operationibus, ac effectibus.

Confirmatur hoc, quia prius colligimus aliqua eſſe di-
uerſæ rationis de facto, quam colligamus illa eſſe inæ-
qualis perfectionis, nam ex diuerſitate illa colligitur il-
la inæqualitas maximè ab aduerſariis: ergo habemus
aliqua principia, ex quibus colligamus aliqua eſſe diuer-
ſæ naturæ independentem ab inæqualitate perfectionis.

Confirmatur ſecundò, quæ cum equalitate perfectionis
hæceitarum, & cū hoc, quod æqualiter diſtint ab ente
ſummo,

Diffe-
rentia
quæ ex-
plicatur
per pri-
uationē
aliquādo
eſt per-
fectior,
aliquādo
imperfec-
tior.

Prius
colligi-
mus ali-
qua eſſe
diſſimi-
lia, quam
inæqua-
lis perfe-
ctionis.

summo, & non ente, manet adhuc illa diuersitas, quod vna non sit altera: ergo cum tali æqualitate differentiarum essentialium bene stat, quod vna sit dissimilis alteri. Neque enim est maior ratio de vno, quam de altero.

Confirmatur tertio: quia relationes diuinæ & attributa, etiam formaliter considerata, æqualiter distant à summo ente, hoc est ab essentia diuina, & à non ente, ac etiam ab ente creato, & tamen sunt æqualis perfectionis (si tamē habeant relationes diuinæ vllam perfectionem, quod negant Scotistæ, & asserunt Thomistæ) & dissimilis naturæ formaliter loquendo; ergo ex eo, quod aliqua differant æqualiter à non ente & summo ente non sequitur, quod non essent dissimilis naturæ formaliter.

33. *Obiicitur tertio:* Quæ sunt æqualis perfectionis, sunt omnino similia & consequenter eiusdem speciei: ergo quæ sunt diuersæ speciei, debent esse inæqualis perfectionis, alias essent & non essent eiusdem speciei. Probatur antecedens, quia si non essent omnino similia essent dissimilia, & si essent dissimilia eo ipso deberent esse dissimilia in perfectione, & si essent talia, deberent esse inæqualia quia illud in quo essent dissimilia poneret inæqualitatem inter illa.

Respondeo, negando antecedens, & dando instantiam manifestā in attributis diuinis, & relationibus formaliter consideratis. Quæ sunt sine dubio dissimilia & tamen non sunt inæqualis perfectionis: nam attributa diuina sunt infinitæ perfectionis, & consequenter vnum ex illis non excedit alterum nec exceditur ab ipso, quod requiritur ad inæqualitatem; & relationes vel dicunt perfectionem & sic idem dicendum de illis quod de attributis; vel non dicunt, & sic non possunt dicere inæqualitatem, quam non habent. *Vnde* ad probationem antecedentis dico quod essent dissimilia in prædicatis essentialibus, non vero in perfectione istorum prædicatorum, nisi quatenus vna perfectio esset perfectio prædicati distinctæ rationis à prædicato alterius perfectionis: ex hac autem dissimilitudine non sequitur dissimilitudo, de qua agimus, hoc est talis ex qua sequeretur quod vna esset maior altera.

Dices: inde colligitur Petrum & Ioannem esse eiusdem speciei, quia sunt æqualis perfectionis: ergo illa omnia sunt eiusdem speciei, quæ sunt æqualis perfectionis.

Respondeo negando antecedens: sed inde potius colligo esse eiusdem speciei, quia nullam videmus dissimilitudinem inter prædicata essentialia eorum, sed potius summam similitudinem. Ipso inde potius colligimus quod sint æqualis perfectionis quia scimus quod sint eiusdem speciei; & hoc etiam, non quia quæ sunt diuersæ speciei, non possent esse æqualis perfectionis; sed quia quæ sunt eiusdem speciei necessario debent esse eiusdem perfectionis saltem essentialis ut est euident. *Vnde* negari posset consequentia, quia licet colligi posset ex eo quod aliquis sit cæcus cum non posse discurrere de coloribus, non sequitur quod quicumque non est cæcus possit de iis discurrere.

Dices secundo: si conuenirent in æqualitate perfectionis, deberent etiam conuenire in differentia, ratione cuius illa æqualitas perfectionis competeret ipsis: sed si conuenirent in illa differentia, non essent essentialiter dissimiles: ergo, quæ habent æqualem perfectionem, sunt omnino similia & eiusdem speciei.

Respondeo negando maiorem, & dando instantiam in attributis ac relationibus diuinis. Posset etiam dici quod illa conuenirent in eadem differentia quantum ad hoc, quod vtraque principaret tantam perfectionem ita, ut perfectio, principata ab vna, non sit maior nec minor quam illa, quæ principatur ab altera; sed quod disconuenirent in eadem differentia, quatenus perfectio tanta causata ab vna esset diuersæ rationis à perfectione tanta causata ab altera.

34. *Dices:* differentia vltima sunt se totis diuersæ: ergo non conueniunt in vllō vno conceptu, & consequenter species distinctæ non possunt conuenire in differentiis, ut sunt principia tantæ perfectionis.

Contra, non obstante differentiarum vltimarum diuer-

sitate, de facto verū est, quod equus & bos ex sua differentia vltima sunt imperfectiores quam homo: ergo conueniunt eorum differentia vltima in hoc, quod est principiare perfectionē minorem, quam sit perfectio hominis. *Deinde* non magis sunt primo diuersæ, seu se totis diuersæ differentia vltima specificæ quā individuales: sed hoc non obstante Petrus & Paulus conueniunt aliquo modo in æqualitate perfectionis individualis: ergo non obstante diuersitate differentiarum essentialium possunt species conuenire in æqualitate perfectionis essentialis.

Itaque licet differentia vltima sint se totis diuersæ, possunt conuenire proportionaliter, sicut indiuidua quæ talia conueniunt, & sicut ipsæmet differentia conueniunt in hoc, quod est facere differre, ut postea videbimus.

35. *Obiicitur quarto:* Philosophus 3. Met. tex. 11. ait sub genere inueniri in speciebus prius & posterius, hoc est melius ac deterius: ergo species debent esse inæqualis perfectionis.

Confirmatur, quia 8. Met. tex. 10. ait essentias rerum esse, sicut numeros: ergo quemadmodum, ex numeris nulli duo sunt distincti, quorum vnus non sit perfectior vel imperfectior altero: ita dicendum est de essentis rerum, ac consequenter omnes essentia diuersæ sunt inæqualis perfectionis.

Confirmatur secundo, quia hac ratione negatur processus in infinitum in causis essentialiter ordinatis, quia debent esse inæqualis perfectionis, qui tamen processus non negatur in causis accidentaliter ordinatis.

Confirmatur tertio, quia si species diuersæ essent æqualis perfectionis, tum posset vna causare alteram, quid enim impediret? sed non posset ex alio capite, nam non posset causare ipsam, nisi per modum causæ æquiuocæ, vel vniuocæ: non per modum causæ vniuocæ, quandoquidem effectus esset diuersæ rationis; non etiam per modum causæ æquiuocæ, quia hæc debet esse perfectior effectus.

36. *Respondeo* negando consequentiam vniuersaliter loquendo, quia licet sub genere reperiantur prius & posterius in speciebus, non debet hoc intelligi vniuersaliter respectu omnium specierum, sed respectu aliquarum; nec debet intelligi quod sub omni genere reperiantur prius & posterius, sed sub genere summo continente sub se varia genera, & species.

Dices: si non intelligeretur de omnibus speciebus male diceret Philosophus quod in quolibet genere, seu prædicamento reperiretur vnum aliquod, quod esset mensura & metrum aliorum omnium, hoc est, quod sit tale, ut per accessum ad ipsum, aut recessum ab ipso, maiorem vel minorem, possit colligi perfectio reliquorum omnium: nam si possent dari duæ species æqualis perfectionis, neutra ex ipsis posset esse mensura reliquorum omnium: non enim posset esse mensura alterius, præsertim si mensura debeat esse perfectior mensurato.

27. *Respondeo* negando sequelam, quia adhuc bene posset fieri, quod vna aliqua species reperiat in quolibet prædicamento, quæ sit perfectior qualibet alia specie in illo contenta, licet ex illis aliqua alia species essent æqualis perfectionis. Quod si etiam perfectissima species haberet aliam sibi æqualem in perfectione, qualibet ex illis posset esse mensura & speciei sibi æqualis, & cæterarum specierum imperfectiorum: bene enim possumus mensurare quantitatem vnus panni per alium pannum æqualis quantitatis; Verum tamen est quod neutra ex illis speciebus esset per se mensura alterius potius quā altera ipsius, si essent æqualis perfectionis. Addo, vtramque, aut omnes, quorum essent æqualis perfectionis posse censeri vnam quantum ad conuenientiam in perfectione æquali, licet quoad alias rationes essent diuersæ ac dissimiles. Sed ut magis ingenue procedam, transeat quod Aristoteles fuerit in illa opinione, ut putauerit species esse inæqualis perfectionis; sed cum non appareat vlla ratio ob quam hoc debeat esse verum, nego id propterea necessario tenendum, hic enim ago ex ratione, non ex autoritate.

38. *Ad primam confirmationem respondeo* negando consequentiam, quia non debent esse sicut numeri quoad omnem comparationem; (neque enim similitudo omnis debet currere quatuor pedibus ut aiunt) sed quoad hoc, quod quemadmodum essentia numerorum variatur per ablationem aut additionem cuiuscumque unitatis aut alterius numeri, ita essentia rerum variantur per additionem aut ablationem cuiuscumque prædicati essentialis; & quod quemadmodum omnes numeri magis quam numero differetes sunt diuersæ species: ita omnes essentia rerum, & omnes naturæ, plus inter se distinctæ quam numero, sunt dissimiles ac diuersæ species.

Ad secundam confirmationem dicendum quod non negetur processus in infinitum in causis essentialiter ordinatis, quia debent esse diuersæ species, & consequenter diuersæ perfectionis: sed quia deberent omnes actu existere, quando causant effectum, & quia hoc esset absurdum; vel quia ex aliis principiis colligitur quod causa superior debet esse perfectior inferiori, & consequenter si daretur processus in infinitum in illis, deberet dari aliqua creatura infinitæ perfectionis; nam de præto Deo, adhuc illæ causæ essent infinitæ; & propterea daretur aliqua ex illis infinitæ perfectionis, si haberent talem ordinem, de quo tamen discursu alias agendum erit. Quod si nulla alia ratio esset negandi illum processum, quam quod deberent esse diuersæ perfectionis, omnino sine fundamento sufficienti negaretur.

Quod
est æque
perfectum
cum alio
non ne-
cessario
debet
posse
aliud il-
lud produ-
cere.

Ad tertiam confirmationem respondeo non sequi, ex eo quod aliquid sit æqualis perfectionis cum alio, quod possit illud causare, sicut non sequitur ex eo, quod homo sit perfectior musca, aut boue, quod possit producere muscam aut bouem: & sicut non sequitur ex eo quod vna materia sit æque perfecta ac alia, aut vnus Angelus æque perfectus ac alius, aut vna gemma æque perfecta ac alia, quod possit aliam producere. Colligeretur autem non posse ab ipso produci à priori ex eo, quod non haberet virtutem ad hoc proportionatam, & à posteriori ex eo quod non haberetur vlla experientia, per quam posset constare quod haberet talem virtutem. Quod si tamen posset producere illam, esset causa æquiuoca ipsius, & eo supposito, negandum esset quod causa æquiuoca sit semper perfectior suo effectu omni; cuius oppositum fundatur in eo, quod hic negamus esse certum, nimirum quod species debeant esse inæqualis perfectionis.

39. *Obiicies quinto* Quæ sunt æqualia possunt inter se commensurari: sed quæ sunt dissimilis naturæ non possunt inter se commensurari: ergo omnia dissimilia sunt inæqualia in perfectione.

Respondetur distinguendo maiorem: quæ sunt æqualia, concedo; quæ non sunt, negatur. Similiter distinguo minorem: quatenus sunt dissimiles, concedo; quatenus conueniunt in tantitate perfectionis, nego minorem & consequentiam. Itaque quemadmodum albedo, ut tria, & nigredo ut tria, licet sint dissimilis naturæ, & forte inæqualis perfectionis, possunt tamen commensurari, in quantum conueniunt in tot gradibus perfectionis ipsius entitatis diuersæ; ita etiam albedo & dulcedo quantumuis haberent entitatem & perfectionem diuersam, possunt tamen conuenire in hoc, quod vna perfectio sit tanta, quanta est altera.

Responderi potest secundo negando minorem; commensurari enim, proprie loquendo, nil aliud est, quam vnū mensurare per applicationem alterius: sed certum est posse quem per applicationem vnus rei diuersæ naturæ ad aliam rem, & considerando quantum accedit, vel recedit à perfectione illius, mensurare perfectionem eius, hoc est scire quod habeat tantam, vel tantam perfectionem, & sic Philosophus dixit in vnoquoque prædicamento esse vnū quid, quod est mensura ac metrum reliquorum, quæ sunt in illo prædicamento: & sine dubio illud vnū est dissimilis naturæ vel omnibus reliquis, vel aliquibus, saltem ex illis.

Quod si intelligatur per commensurationem coextensio quantitatis vnus rei ad alteram sic, ut nec ex-

cedat, nec excedatur à quantitate alterius rei, etiam falsa est minor: quia res dissimiles possunt habere quantitatem perfectionis æqualem, propter rationem conclusionis; & consequenter vna quantitas ex illis potest in hoc etiam sensu commensurari per quantitatem alterius.

Possit hic merito queri quid sit perfectio rei, de qua queritur an vna species debeat habere maiorem vel minorem quam quæcumque alia species distincta. Quæ sane difficultas mihi maior est quam illa ipsa, quæ proponitur in questione & hæcenus, examinata est, & fortassis si illa declararetur, hæc facile solui posset. Respondeo autem breuiter, imprimis eam non esse perfectionem entis ut sic, quæ est bonitas ipsius de qua in Metaphysica, quia in hac omnia entia quantumuis diuersæ rationis conueniunt ita, ut quemadmodum omnes æqualiter participant ratione entis, ut sic, sic etiam æqualiter participant bonitatem eius, & quemadmodum nulla ex speciebus entis est magis ens, quam reliquæ: sic nulla est perfectior reliquis in perfectione, aut bonitate entis. Nec etiam est perfectio quanti talis molis, quia multæ species entis non habent molem quantitativam, hanc enim non habent vllæ substantiæ spirituales, verbi gratia Deus, Angeli, animæ rationales, nec accidentia vlla spiritualia. Est ergo conducentia rei in ordine ad bonum vniuersi, seu illa ratio ob quam aliquid est magis vel minus appetibile quam aliud. Cuius exactiorem notitiam relinquo ad materiam de Trinitate ubi agitur de perfectionibus relationum diuinarum, neque enim hic amplius de ea discurre licet, ubi hæc ipsa addenda erant ad supplendam lacunam quæ ex distributione Typographi in secunda impressione accidisset, nisi hæc proponerem.



DISPUTATIO VI.

De Indiuiduo seu singulari.



VIA Porphyrius in eodem capite, quo egit de specie, egit etiam de indiuiduo, seu singulari, (idem enim per vtrumque nomen in hoc tractatu ab authoribus communiter intelligitur) & quia etiam indiuiduum est correlatiuum, & inferius speciei prædicabilis, sicut species est correlatiuum generis; ideo tam conuenienter ac necessario de ipso post speciem, ac de specie post genus, tractandum videbatur. Quia autem duplex est consideratio indiuidui, vna metaphysica, qua consideratur secundum se, & prædicata sibi conuenientia independentem ab operationibus intellectus, aut ab ordine ad illas operationes, præsertim illas, quibus indiuiduum possit prædicari, aut non prædicari de aliquo: Altera consideratio est logica, qua consideratur cum ordine ad illas operationes: Prius agemus de indiuiduo secundum priorem considerationem, & postea secundum posteriorem.

QVÆSTIO I.

Quid est Indiuiduum metaphysicum, seu primò intentionaliter consideratum.

2. **P**orphyrius duas dedit indiuidui definitiones. Prima est quod sit illud, quod de vno solo prædicari potest, quæ descriptio cum sit indiuidui secundo intentionaliter accepti ad questionem vltimam. num. 93. referenda est. Secunda descriptio est quod indiuiduum sit illud quod ex proprietatibus consistit, quarum collectio nunquam in alio eadem erit. Has autem proprietates Boetius comprehendit hoc versu: *Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus*. Itaque iuxta hoc, indiuiduum, seu singulare determinatum ac distinctum numero à quacumque alia re, erit quicquid habet determinatam aliquam formam, ut verbi gratia talem proportionatam dispositionem colorum, talem determina-

Dux Indi-
uidui
descri-
ptiones.